





XXXIV.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS  
exhibens

**POSITIONES  
SELECTIONES,**  
EX JURE PUBLICO, FEUDALI ET  
CIVILI DESUMTAS

*Quas*

Summo Numine Adjuvante  
**AUTORITATE**

INCLUTE FACULTATIS JURIDICÆ  
IN PERANTIQUA UNIVERSITATE ELECTORALI HIERANA  
**P R Æ S I D E**

*VIRO Prænobilib. Excellentiss. atq. Consultissimo*

**DN. MELCHIORE LU-  
DOLPHO Bilien/**

J. U. Doct. Famigeratissimo, & Institutionum Juris  
Imperialium Prof. Publ. Ordin. celeberrimo, &c.

*PATRONO AC HOSPITE SUO HONORATISSIMO,*  
**PRO LICENTIA**

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ac PRIVILEGIA  
DOCTORALIA ritè capessendi,

*Addiem Martij Anno cl. 1cc. XCVII.*

IN AUDITORIO JCTORUM MAJORI  
P. P.

**LUDOVICUS FRIDER. WINDREUTER,**  
Canonicus Magdeb.

---

ERFORDIÆ, Literis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

X 35



XLV

DISSERTATIO INANGULARIS

POSITIONES  
SELECTIORES  
EX IURE PUBLICO, FEUDALI ET  
CIVILI DE REBUS

IN FACULTATE IURIDICA  
UNIVERSITATIS HEBERAE  
P. R. E. S. I. D. E.

DR. MELCHIORE LI-  
DOLPHO

J. U. D. C. I. N. G. I. S. & I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. U. M. I. U. R. I. S.  
I. M. P. E. R. I. A. L. I. U. M. P. R. O. F. P. U. B. L. I. C. I. U. M. C. E. L. E. B. E. R. I. N. O. & C.

IN HONORE JURIS HONORIS ET PRIVILEGII  
DOCTORALIS HIC CAPILLANDI  
ADDITUM M. A. S. S. I. S. S. I. M. O. X. C. V. I. I. I.

WINDREUTER

Magdab.

ERKARDI LIT. GROSCHANSIS Aed. Typogr.

X 52





C. D.

## PROÆMIUM.

**I**N aprico est cogitationibus & propositis nostris majorem nonnunquam vim intercedere, ut illa, quæ constanter & firmiter nobis proposueramus, præter spem ac expectationem in cassum recidant. Quippè in id elaborabam, ut Dissertationem meam Inauguralem de Confessione Extrajudiciali conficerem atque conscriberem: Verùm enim verò tempore fatoque exclusus, cœptum peragere non potui. Quã de causâ presentes certas juris Controversas quæstiones loco Dissertationis Inauguralis eligere atque conscribere sum conatus. Si quid B. L. in iis offenderis, quod minus placet, benevolentia ac humanitate illud supplere velis, contendo. Cùm autem universa benè & competenter gerantur, si rei principium fiat decens, & amabile DEO Nov. 6. in princ. & 164. ut sit DEUS principium, medium atque ter-

A

minus

53 (2) 50

minus, Nov. 109. Unde & nos in Nomine Domini  
nostri JESU CHRISTI ad rem ipsam aggredimur:  
Esto igitur Controversiarum nostrarum felix prin-  
cipium

### CONTROVERSIA I.

**A**rdua est Quæstio, multumque Usualis: An tu-  
tela proximo agnato Electoris competens, te-  
stamento possit adimi? In re ardua, exemplo  
Cicer. in orat. pro Rabirio, pauca & timide sta-  
tuenda: sed cum tamen aliquid statuendum, salvo alio-  
rum iudicio, nos Negativam propugnantibus adstipu-  
lamur, quam sententiam eò amplectimur libentius, quod  
tantæ Celsitudinis administrationem Agnato potius,  
quàm extraneo committere, & Republicæ, & privatæ sit  
tutiùs ac utiliùs, in qua confirmat nos vulgata Regula,  
Juris: Quod id, quod nostrum est, sine facto nostro ad  
alium transferri nequeat, l. quod nostrum ii. de R. J.  
at proximus Agnatus Electoralis istam tutelam ex Lege  
& jure, & quidem publico, cui derogari pactis privato-  
rum non potest l. 42. ff. de oper. libert. legitimè & irre-  
vocabiliter acquisitam habet in A. B. §. inter sollicitudi-  
dines, ergo ei invito auferri non debet Gædd. ad l. 120.  
de V. S. Nec est, quod dicamus, cessante demum testa-  
mento, tutelam proximo agnato deferri: cum ea regu-  
la intelligenda sit de Tutoribus quibus nullum à jure seu  
legibus jus quoad tutelam quæsitum est, quemadmodum  
hoc nostro casu A. B. testatur, obtinet igitur hic alia re-  
gula: quæ vult, in his testatoris voluntatem servandam,  
quæ

quæ ex ipsius testatoris Dispositione absque juris necessitate veniunt, in iis vero, quæ ex Legis provisione necessaria descendunt, si quid contra illam legem dispositum, minime obtemperandum *l. 55. de legat. 1.* cum hominis Dispositio cum Dispositione Legis, tanquam cum causa sua finali convenire debeat, & ita formari, ut si ab ea dissentiat, pereat potius, quam valeat, *l. 21. ff. de R. J.*

CONTROV. II

De eo Dd. inter se non conveniunt, An Vitricus privigni sui Tutor esse possit? Absolutè hoc negant *Nevisan. in Sylva nuptial. lib. 2. num. 51. Finkelth. obs. pract. 53. Brunn. ad l. 32. ff. de Adopt. n. 3.* Alii, qui præmissam quæstionem distinctione decidere conantur, dicunt, an quis ante sit Tutor (testamento sc. Patris datus) quam Vitricus, & tunc manere posse Tutorem, an verò ante sit Vitricus, quam Tutor, & hunc Tutorem regulariter dari non debere, uti hujus opinionis est post *Baldum Corasium, Iuldenum ad C. Quando mulier tutoris offic. fung. num. 6. Balt. Thomas. de Tut. 1. tit. 9. cap. 1. n. 6. Wesenb. ad d. r. de Tutel.* Non nullorum sententia hæc est, quod Vitricus regulariter privigno suo possit constitui Tutor, inter quos sunt *Cujac. Gothofr. Berlich. Colleg. Argent. Harprecht.* & alii Dd. plures, quorum opinioni nos ad stipulamur, moti sequentibus expressis juris textibus: 1. quod Tutori pupillum suum, eundemque privignum arrogare permissum *l. 32. §. 1. ff. de adopt.* quæ verba legis de tutela Vitrici satis clarè testantur. 2. Non prohibetur mater cum filii sui pupilli Tutore nuptias contrahere, qui filius postmodum secundi Mariti fit privignus, & tutor fit Vi-



tricus l. 2. C. de interd. matrim. Ex quibus satis abunde-  
que apparet, quod Vitricus de jure possit esse Tutor pri-  
vigni sui; Quamvis, si tutelam sibi delatam recusaverit,  
non posse ad eam compelli referat Mornat. ad l. 32. §. 1.  
de Adopt.

### CONTROV. III.

Cum hodie Principes, Comites, Barones, Nobiles,  
etiam in aliorum prædiis venandi & aucupandi jus ha-  
beant, invitis quoque dominis, quari solet; Qualis ist-  
hæc sit servitus, Personalis, an Realis? Plerique eam,  
quando Castro aut villæ alicui debetur, & ad heredem  
transit, realibus servitutibus aggregandam censent, quo-  
rum signifer est Zasius in §. æquè enim 24. l. de Action. §.  
l. 2. cons. 6. n. 30. Quidam vero servitutem personalem  
dicunt Sebast. Medic. in tract. de Venat. part. 2. quest. 26.  
Verùm jus illud venandi & aucupandi neque servitutem  
personalem, neque realem putamus: Personalis liqui-  
dem servitus non est, quia perpetuum est, & ad heredem  
transitorium, cum tamen personalis servitus cum perso-  
na, cui debetur, extinguatur. l. 3. §. ult. ff. quib. mod.  
usufr. amitt. l. 16. C. de usufr. Neque Realis; hæc  
enim servitus ipsi prædio debetur, §. Ideo l. de serv. rust.  
præd. & non tam ad hominis, quam ipsius prædii Domi-  
nantis utilitatem pertinet, ut inde melius & utilius effi-  
ciatur vel conservetur l. 5. in fin. §. seqq. ff. de servit.  
præd. rust. Venatio autem non tam prædii, sed hominis  
utilitatem & recreationem spectat, hinc potius cum  
Pruckmanno eam inter Regalia merito annumerandam  
esse statuimus; Illa enim, docente Arumæo Disp. feudali 4.  
num. 15.



num. 15. ad Regalium classem referenda, quæ Principi summo in signum præminentia conceduntur, aut, quis tam rerum ignarus est, qui nesciat, soli Imperatori jus Foresti, vulgò *Wildbahn* competere, & ab Eo Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus concedi solere: Unde etiam Imperator Fridericus subditis venationem interdixit, & sibi soli, & cui is pro beneficio vellet, reservavit, quæ propria Regalium nota est, idem *Bruckman. tract. de Regal. §. Venatio. cap. 11.*

CONTROV. IV.

Controversum est, An bonæ fidei possessor omnes fructus, tam naturales, quam Civiles percipiendo suos faciat? Extra controversiam est industriales fructus cedere possessori, qui eos bona fide percepit, idque jure naturali illi datum ratione curæ & culturæ. §. 35. *l. de rer. divis.* quod & dicendum de Civilibus *l. 34. ff. de usur.* ratio est, quia sine facto possessoris tales fructus non erant futuri in rerum naturâ, ut merito illi cedant. De fructibus naturalibus tota quaestio est, an hi cedant bonæ fidei possessori? Et quamvis plerique, inter quos est *Donnell. 4. Comment. 25.* hoc negent, nos tamen affirmativam defendimus, siquidem bonæ fidei possessor, quod fructus attinet, instar domini est *l. 48. ff. de acquir. rer. Domin.* & in percipiendis fructibus id juris habet, quod Dominis prædiorum tributum est, *l. 25. ff. de usur.* Uti igitur Dominus indistincte, solius Domini virtute fructus omnes suos facit, ita & bonæ fidei possessor solius bonæ fidei efficaciam, præsertim, cum is potior sit usufructuario, qui tamen fructus tam naturales, quam industriales acquirit;

At 22

Quod

Quod igitur Dominis tribuit dominium, hoc bonæ fid. possessori. b. f. possessio. Hinc est quod jure soli, non seminis fructus percipi dicantur. *l. 25. pr. §. 1. ff. de usur.*

### CONTROV. V.

Inter Quæstiones juris Controversas non infimum locum obtinet illa: Possitne Princeps privatorum res aut bona quæsitæ auferre? Nos negantium sententiam communi Doctorum calculo approbatam tuebimur *per text. Ezechiel. 46. vers. 18. 1. Reg. 21. v. 2. & 22. & 2. Reg. 9. & 10. Rom. 13. vers. 4.* Princeps enim vult omnes suos actus regulari à justitiâ Poli & fori, ut *Baldus* inquit *in l. 1. ff. de Const. princ. num. 1. Gail. 2. obs. 58. num. 9.* Eique nunquam placere præsumitur, nisi quod justum & æquum est *text. in c. Si quando 5. X. de Rescript* Quis autem dicit justum esse, si cujus quæsitum adimatur *§. 3. l. de J. & J. l. 10. §. 1. ff. eod.* Exceptâ tamen causâ publicæ utilitatis, nam publica privatis anteferenda bonis, *Cap. Imperial. de probib. feud. alien.* & ob favorem utilitatemque publicam haud raro à regulis juris communis receditur. *C. Abbate 3. §. f. vers. præsertim. de sentent. & re judic. in 6. Schneid. §. cum autem I. quibus mod. jus pat. pot. solv.* Quo casu tamen Princeps privatis justum pretium refundere obligatur; Princeps enim à Deo est constitutus, ut faciat justitiâ, *1. Reg. 3. Sapient. 6. Psal. 82.* ac suum cuique æqua lance absque ullo personarum respectu tribuat. *Prov. 24. vers. 23.* nec cum subditorum jacturâ locupletetur. *C. locupletari 48. de R. J. in 6. l. 10. l. 11. l. 74. l. 206. ff. eod.*

CON-

(7.)  
**CONTROV. VI.**

Magna Feudistarum controversia est, An Legitimati per subsequens matrimonium in feudis succedant? Quamvis nonnulli sint, qui illud negent, attamen eos ad feudi successionem admittendos, verius esse putamus, quam nostram sententiam tuerentur *Gail. 2. obs. 141. n. 2. Zoes. ad tit. ff. de suis & legit. hered. num. 26. Reinking. de Re tract. num. 2. Paulus Fuchs. de hered. qua ab intest. def. dum enim legitimati per subsequens matrimonium legitimi ne dum Patri, sed omnibus Ascendentibus & Collateralibus sint. Nov. 89. c. 8. & nihil à legitimis differant d. Nov. 89. c. 9. ratio nulla dari potest, cur non una cum legitimis in feudis succedere debeant, quoniam inter eos nullum est discrimen, nisi respectu mediorum; Hi enim sunt ex nativitate tales, illi vero per legem, & cessante causâ, merito cessat effectus. Causa vero, quæ naturalem arceat successionem Feudi est illegitima nativitas, ea autem tollitur per subsequens matrimonium, consequenter etiam ejusdem effectus cessare debet. Quod etiam procedit, licet Investitura expressè loquatur de legitimè natis, jure enim retrahitur matrimonium ad tempus nativitatis, *d. Gail. 2. obs. 141. n. 1. & restituuntur liberi ad omnes Gradus, honores, successiones, ac si ex justo matrimonio nati essent per textum in C. Tanta 6. ubi Glossa & Dd. qui filii sunt legitimi l. 8. no. C. de natural. lib. Nov. 12. c. f. Nov. 47. c. 2. Tiraquell. de jure primogenit. quest. 28. num. 3. In Electorat. verò Brunsvigo-Luneburg. Calenberg. Landtags-Ab-schiedts de Anno 1601. §. 31. In feudis non succedunt ii,**

qui

qui vocantur Mantel- Rinder/ *vid. Bechman. ad A. B. Exerc. 4. n. 60. & Exerc. feud. 7. n. 11. junct. Excellentiss. Jcto Dn. Johann. Hermanno à Sode, Decan. & Sen. inclutæ Fac. Jurid. meritiss. Heptad. Pos. Publ. Feudal. 6. pos. 1. circ. fin.*

### CONTROV. VII.

Controversia est illustris, An duorum fratrum vel sororum liberi, si soli sint, defuncto patruo in capita, vel in stirpes succedant? Prima facie posterius verum esse videtur, eò quod jus representationis generale sit *Nov. 118. c. 1.* & successio in Capita post fratres demum, fratrumque liberos admittatur *Nov. 118. c. 2.* nec non Imperatori Justiniano æquum visum, Filios filiasque Fratrum Jure representationis in locum Patris sui succedere. Verùm hisce non obstantibus, prius verius, & Legibus magis conforme est, siquidem in successione tempus delatæ hereditatis inspicitur, *l. 59. de Condit. & demonstr. tempore autem delatæ hereditatis soli extant filii fratrum, & quidem pari gradu, Ergò pariter quoque ad hereditatem admitti debent, idque non tantum de jure veteri, l. 2. §. hac hereditas ff. de suis & legit. hered. l. 1. §. interdum ff. si pars hered. petat.* Sed etiam jure novo *Nov. 118. c. 3. in fin. Reichs-Abschied zu Speyer. de anno 1529. §. Item als bißhero/* ita, ut fratrum filii soli; i. e. non concurrentibus patruis, in capita, non in stirpes succedant; neque hisce obstat, quod representationis jus generale sit, nam illud (uti etiam reliqua objecta argu-

argumenta) iis sc. terminis verum esse, non negamus, quando nepotes concurrunt cum Patruis; si enim hoc casu jure suo & Proprio cum Patruis ad Avi successionem contenderent, ab iis, tanquam gradu proximioribus excluderentur, ideoque mediante Paternæ representationis beneficio ad successionem Patruis admittuntur, & non plus consequuntur, quam habiturus fuisset eorum Pater, cujus personæ innixi, unâ cum patruis admittuntur, *Georg. Adam. Struv. Jprud. Rom. Germ. for. lib. 2. tit. 30. aph. 17.*

### CONTROV. VIII.

An is, qui literis publicis affixis, minatur alicui incendium: *Er wolle ihm einen rothen Hahn auff's Hauß sehen/* vel necem *Er wolle ihm eine Kugel durch den Kopf jagen/* gladio feriendus sit, controvertitur; Nonnulli id indistinctè volunt, Nos tamen priori casu in puncto incendii hoc affirmamus, posteriori verò negamus; pro diffidatore namque habendus, qui facto aliquo per emissionem vel affixionem literarum, scharparum, carbonum vel papiri incendium minatur *vid. Const. Carol. art. 128. Matth. Steph. ad d. art. crim. Daniel Moller. ad Const. Elect. 15. part. 4.* Non etiam, qui certæ personæ per literas emissas minatur necem, *Dn. Lauterbach. ad tit. ff. de Concuss. Wesenbec. in §. item lex Jul. Inst. de jud. publ. num. 4. Job. à Beist. ad l. 31. ff. de jur. jurand.* Ratio diversitatis obscura haud est, cum incendium certæ tantummodò indictum personæ, præter mentem & voluntatem facillimè toti communitati contingere queat, juxta vulgatum illud: *Tua res agitur, pa-*  

B ries

ries cum proximus ardet ; quod tamen de nece unius personæ afferi nequit ; Licet autem minator per literas necem indicens, poenam gladii effugiat, non tamen propterea dimittendus erit, sed incarcerandus, & tam diu detinendus, usque dum sufficientem cautionem per fidejussores & pignora de non offendendo præstiterit, *l. illicitas §. ne potentiores ff. de offic. Presid. Jul. Clar. in prac. qu. 77. §. ult. n. 2. Carpz. 1. qu. 37. num. 17.*

### CONTROV. IX.

Inter varias juris controversias non postremum locum sibi vindicat illa : An judicium Possessorium & Petitorium simul constitui possit, ut una etiam super ea feratur sententia ? *Bella Pertica & Cynus, uti testatur Menochius remed. retin. poss. 3. num. 51. nec non Henr. Zæsius ad tit. ff. de interd. putarunt, omne judicium Possessorium posse cumulari cum Petitorio, quam opinionem tam veram dicit Cynus, quam verum est Evangelium, licet Bart. eam tam falsam esse dicat, ac Judas Ischarot est falsus Discipulus, Job. Anianus & Azo directo contrarium priori Cyni & Petri de Bella Pertica opinioni defenderunt, statuentes, nullum possessorium concurrere cum Petitorio. Marcellus putavit, possessorium retinendæ possessionis non concurrere cum Petitorio, reliqua possessoria Adipiscendæ & Recuperandæ benè concurrere. Prior & posterior sententia nobis non placet, sed tantum media : Siquidem non incerti juris est, ut habet *l. 3. C. de Interd.* quod si de possessione & proprietate controversia exurgat, quæstio possessionis prius decidenda & ventilanda sit, & post veniatur ad Petitorium*

rium

rium, idemque expressè traditum reperitur in *l. 13. C. de R. V.* facit *l. 3. C. fin. regund. l. 1. C. de Appellat.* Quoties enim de possessione controuertitur, exitus controversiæ hic est, ut prius pronunciet Iudex, Uter possideat, ita enim fiet, ut is, qui victus est de possessione, petitoris partibus fungatur, & tunc de Dominio quaratur, ut habet *l. 35. de acquir. poss.* Illud autem si simul intentetur petitorium & possessorium, fieri non potest citra contrarietatem, siue actor agat interdicto Retinendæ, siue Acquirendæ, siue Recuperandæ possessionis: Nam priori casu, si interdictum Retinendæ cum Petitorio coniungere velit, id idèd facere nequit, quia, quatenus rei vindicationem intendit, suscipit probationem domini, *l. 62. ff. de Judic. l. 3. C. de Interd.* & simul aduersarium possidere dicit; Aduersus possidentem enim tantum datur Rei vindicatio §. *Æque 2. I. de Action. l. 1. §. 6. ff. Ut possid.* Unde est, quod Dd. dicunt, in rei vindicatione duo extrema requiri, Dominium ex parte Actoris, & ex parte Rei conuenti possessionem: Quatenus verò quis experitur Interdicto retinendæ, se in possessione esse dicit, sed in eâ turbari conueritur *l. 1. §. 4. ff. uti possid.* consequenter itaque, si hæc remedia uno eodemque tempore, uno libello intentantur, & una super hæc feratur sententia, tunc simul eodem tempore, eodemque momento actor dicit, se & possidere, & non possidere, proindeque planè sibi esset contrarius. Idem obtinet in cumulatione petitorii cum Interdicto Adipiscendæ & Recuperandæ possessionis *l. 1. C. de Appellat. Dn. Lauterbach. ad tit. ff. de Interd. Franzkius Ex. 14. qu. 2. Vinn. lib. 2. tit. de Interd. Job. Hoppe ad §. 4. I. de Interd.*

## CONTROV. X.

Magnorum Virorum torfit ingenia, Num servitute non constitutâ, liceat aperto pariete nostro ita fenestram habere invito vicino, ut in ejus aream vel domum prospicere possimus? Quamvis negent hoc *Duaren. l. Disput. 33. item ad l. intercedat l. 1. 2. & l. 3. ff. de serv. præd. urban. Cujac. l. observ. 31.* Attamen nobis Affirmativa semper verior visa fuit cum *Donell. II. Comment. 2. Wesenb. ad tit. ff. de servit. urban. num. 4. Cæpolla de serv. urban. cap. 26. num. 1. & 2. Schneid. ad §. prædiorum l. num. 21. l. de servit. Carpzov. p. 2. c. 41. d. 12.* Dummodo aperiundo utilitatem percipiat *l. si cui l. §. Denique 12. in f. de Aqua pluv. arc.* Nam cum parietem proprium liceat destruere, sicque cuivis oculis objicere ædes & aream vicini *Hotoman. 2. amic. respon. 31.* quid ni magis licebit cœcum parietem aperire, ut prospiciatur *arg. l. 21. de R. J.* Eodem modo, sicuti licet cuilibet ædes suas altius tollere, etiamsi vicino officiat *l. cum eo 9. ff. de serv. prædi urba,* ita quodlibet etiam licet facere in suo pariete proprio, illum aperiundo, ut prospiciatur *d. arg. l. 21. ff. de R. J.,* quilibet enim facere potest in suo quod libet, etiamsi noceat vicino *l. 24. §. f. l. 25. l. 26. ff. de dam. infect.* & nemo cogi potest, ut vicino profitem cum damno & detrimento suo *l. 2. §. 5. de aqua pluv. arc. l. 1. §. 12. ibid.* Nec obstat illud *Cujacii l. observ. 31. concedentis,* quod quidem cuilibet liceat facere in suo quod velit, si modò nihil immittat in alienum *l. 8. §. 5. ff. si serv. vind.* nam id revera non fit, quoniam multum interest, oculos pedesvè immittere *Donell. II. Comment. 5.*  
pot-



potest tamen vicinus jure suo ex adverso tollere aedes suas, parietem, tabulatum, arbores, & quodvis in suo erigere, quo lumen & prospectum iis fenestris pracludat. *l. 9. ff. de serv. urb. praed. Donell. d. loc. & ibidem Hillig. lit. D.*

CONTROV. XI.

Ancipitis est quaestio, An statuto tantum tribuatur, ut per id beneficium appellandi ad Cameram Imperialem tolli queat? quamvis pro Affirmativa varia militent rationes, attamen spectata veritate theoretica, magis nobis Negativa videtur esse fundata, quam approbat inter alios *Mynsing. cent. 1. obs. 14. &c.* Quum enim hujusmodi prohibitio derogat juri Superioris praeminentiam ad se appellandi habentis, statutum tale obtinere absurdum foret *Dn. Greveus I. concl. 124. num. I. cum seqq.* facit, quod quando statuentium deficit jurisdictio, statuti deficiat dispositio *l. f. ff. de Jurisdic. l. I. & tt. C. si à non comp. jud. l. duumvir. 53. C. de decur.*

CONTROV. XII.

An Ususfructus rectè in Causalem & Formalem dividatur, controvertitur: *Arumæus Exerc. 5. thes. 16.* non magis rectè sic dividi posse existimat, quam si taurum in animal, sidus ac montem dividere velimus, plures praeterea Doctores datam divisionem tanquam jure & Legibus non fundatam penitus rejiciunt, *Treutl. Disput. de usufr. thes. 1. Duaren. ad l. 126. de V. O. Geddeys ad l. 25.*

*de V. S. &c.* Nos tamen illam, tanquam magistralem, & facilioris doctrinae gratia introductam, retinendam nec temere rejiciendam esse, cum *Jul. Pacio cent. 3. qu. 49. Johan. de Castello tractat. de usufr. cap. I. Mynsing. & Schneidew. Inst. de Usufr.* statuimus: Neque enim est distinctio generis univoci in suas species, sed vocabuli æquivoci in sua æquivocata, & sic non dividitur Usufructus tanquam servitus in Causalem & Formalem, sed ipsum jus utendi fruendi: Alio vero modo Domino, alio vero Usufructuario jus utendi fruendi competit, nec desunt Leges, quæ usumfructum apud eum residere, penes quem proprietas pleno jure est, non obscure sentiunt *l. 126. S. I. ff. de V. O. l. 58. eod. l. 4. ff. de Usufr. aceres. &c.*

CONTROV. XIII.

Interpretes juris non sine contentione maxima disputant: An cautio Usufructuaria sit de substantia quasi ususfructus? Nos negativam tuemur, cum & ante cautionem præstitam quasi-usumfructum constare, & finiri, respondeat Ulpian. *l. 5. S. I. ff. de usufr. ear.* Nec movet, quod loco proprietatis sola cautio apud proprietarium ejusve heredem maneat, & ita sine cautione quasi-ususfructus subsistere non posse videatur: Duplex namque ad hoc est responsio, (1.) enim id, quod succedit loco proprietatis, non est cautio, sed ipsa obligatio usufructuarii, quæ adstrictus est finito usufructu tantundem restituere, aut æstimationem solvere *§. 2. l. de Usufr. l. 6. ff. de Usufr. ear.* quæ cautio firmandæ præ-

præexistentis obligationis gratiâ demùm accedit. *arg. l. 4. ff. de pignor. (2.)* Cautio respicit securitatem proprietatis, non vero juris utendi fruendi, cum abuti rebus quasi-usufructuarius nihilominus posset, perinde ac si cautio nulla intervenisset; Quare cautio, etiam in iis rebus, quæ usu consumuntur, de usufructûs substantiâ esse nequit. *Azo in summa de Usufr. Botser. Diss. 9. thes. 69. &c.*

CONTRON. XIV.

Nec minorem difficultatem videtur hæc quaestio habere: An inter verbis tantùm conjunctos locus sit juri accrescendi? Nam de reliquis minus dubitatur. Et quamvis non desint, qui jus accrescendi cessare hic autument, inter quos est *Henr. Zæsius ad tit. ff. de Usufr. accresc.* Contrarium tamen magis probatur, quoniam Verbis conjuncti, in conjunctorum numero Passim in LL. habentur. *l. 16. §. 2. ff. de legat. 1. l. 84. §. quibus autem, l. 89. de legat. 3. l. 142. ff. de V. S.* Conjunctioni verò præter jus accrescendi effectus alius non tribuitur *l. un. §. II. pr. C. de Caduc. toll. l. I. pr. ff. de Usufr. accresc.* Nec obstat, quod verbis conjuncti ab initio partes habere ex ipsa testatoris voluntate videantur, ut propterea, cum ab initio solidum non habeant, nec jure accrescendi gaudere debeant. Respondemus enim, licet à testatore partes sint expressæ, tamen, quia non sunt certæ, nec certis limitibus divisæ, sideo tacitè solidum habere intelliguntur, utpotè quos unitas sermonis in unum corpus redegit, per text. expressum in *d. l. un. §. 10. C. de caduc. toll.* Nam si partes distinctas haberent atque diversas,

verfas, conjuncti non essent *l. 20. de legat. 2.* Præterea quoque Mixtim conjuncti partes habent *l. 34. §. 9. de legat. 1.* Quare, si partes nec mixtam conjunctionem ener- vant, eadem quoque ratione hoc in Verballi conjun- ctione fieri non debet *l. 32. ff. ad L. Aquil. Valent. Renn. tractat. de jure accresc. cap. II.*

CONTROV. XV.

An Filiusfam. nihil habens proprii pecuniam con- tra Sctum Macedonianum acceptam offerre valeat? probabiliter dubitatur; Pro affirmativâ militant seqq. rationes, (1.) Filiusfam. personam habet integram, & tanquam Paterfam. obligatur ex omnibus causis *l. 39. l. 43. ff. de O. & A.* tam ex contractibus, quàm ex de- lictis, explicante *Ulpian. in l. 57. ff. de judic.* ergo etiam ex mutuo, dictio siquidem omnis est generalis, nihil excludens, *l. 8. de Publ. in rem act. l. 68. pr. de legat. 3.* (2.) In filiusfam. qui aliquid mutuo acce- pit, ipso jure competit actio *l. 7. §. non solum 6. l. 9. §. 1. ad Sctum Maced.* quæ tantum per exceptionem eliditur *d. l. 9. §. 1. d. t.* ita ut illud quod debet, justè creditori suo offerre possit; siquidem æqvissima vox est, jus Gen- tium præ se ferens: Redde quod debes, cui adstipulatur *l. Bona fides 31. in pr. depos. nec non Psal. 37. vers. 21.* ubi ille debitor vocatur impius & peccator, qui non nisi coactus, actioneque compulsus solvit, qui etiam à *Seneca* pessimus debitor dicitur *in lib. de Consil. ad Marc. cap. 10.* Sed hæ rationes, si bilance veritatis ponderentur, non vetant negativam defendere propter *text. in l. 14. de reb. cred. l. 9. §. 1. ad Sctum Maced. l. ult. §. 1. C. de sent. pass. l. 22.*

L. 22. ff. de solut. Si quidem filiusfam: non est suus, h. e. sui juris & potestatis l. 1. ff. Et it. 1. de pat. potest. & ita nihil proprii habere potest, per regulam: In sua potestate nec alium, nec aliquid habere potest, qui ipse est in aliena l. 23. §. 1. ff. de acquir. poss. l. 20. l. 21. ad l. Jul. de adult. §. ult. l. de pat. pot. sed prius mortuo patre liberam bonorum administrationem nanciscitur l. 11. de lib. Et postb. instit. Quid igitur & quomodo offerre potest, cum nihil habere, nec in eum, cui fortè debitum offerre cupit, dominium ejus transferre queat l. 23. de serv. urb. prad. l. 54. l. 120. l. 160. §. 1. l. 175. §. 1. de R. J. c. 5. X. de jur. Patron.

CONTROV. XVI.

Quaestio admodum difficilis est, An Donatio simplex inter Contractus sit annumeranda? *Zoesius ad tit. ff. de donat. num. 34.* eam contractibus esse annumerandam, & quidem stricti juris, cum interpretationem strictam accipiat, absolutè statuit. Quoniam verò Donationi non competit definitio contractus, tum, quia omnis contractus negotium aliquod comprehendere, debet obligatorium l. 15. de pres. verb. l. 7. §. 2. ff. de pact. l. 52. ff. pro soc. Contractus enim commutando, permutando & mercando similibusque commerciorum actibus peraguntur & perficiuntur, inde etiam apud Latinos contractus appellantur, quasi contra aliud mercimonium vicissim, h. e. vice alterius mercimonii, aliud in idem placitum trahatur arg. l. 1. ff. de contrab. emt. vend. tum quia deficit utriusque, tam donanti, quam donatario, animus obligandi l. 3. §. 1. ff. de O. Et A. Cum donatio,

matio fiat eo animo, ut sola liberalitas exerceatur & munificentia *l. 1. l. 29. ff. de Donat.* non ut Donatori aliquid acquiratur, adeoque donandi & perdendi causas ex propinquo inter se cognatas esse Jcti existimaverunt *l. 7. ff. de donat.* hinc ex hisce & aliis rationibus Donationem meritò à Contractuum classe removendam esse, defendere conabimur.

### CONTROV. XVII.

Ob potestatem patriam testari prohibentur filii familias *l. qui in potestate 6. in pr. ff. qui test. fac. poss. l. Senium 3. §. filiusfam. 1. l. nemo 11. C. ead.* De bonis sc. profectitiis & adventitiis, in quibus Pater vel plenum Dominium, vel usumfructum habet, ne quidem eo permitte *d. l. 6. §. princ. l. quibus non est perm. fac. test.* Quid verò de iis adventitiis, in quibus Pater nihil juris? Neque tunc eos testamentum condere concludendum erit, idque ideò, quia ratio, quæ in castrensibus vel quasi consistit, favor sc. literarum & militiæ, in eis cessat, huic accedit textus generalitas in *l. nemo 11. §. seqq. C. q. test. fac. poss.* quod nemo, nisi Pater familias testamentum facere possit, atqui pro tali filiusfam. non habetur in peculio adventitio extraordinario sive irregulari; Ergò de hoc testari minimè poterit, *Dn. Schilter. ad ff. Exerc. 44. §. 47. Joh. Hopp. ad §. 1. l. Qui test. fac. poss.*

### CONTROV. XIX.

Nobilissima & dubitationis plenissima Quæstio est: An sc. omnium bonorum, tam præsentium, quàm futurorum

rorum donatio teneat? Affirmantium opinioni adhaeremus, cum enim quilibet Dominus disponere possit pro lubitu de rebus suis, & praesentibus & futuris, nisi lege prohibeatur, cur non etiam de omnibus bonis per donationem *l. 21. C. mandat. l. sed et si §. Consuluit. ff. de petit. hered. l. f. C. quae res pign. oblig. poss.* Nec obstat, quod donans adimat sibi facultatem testandi, quia id facit indirecte tantum, & ex consequentia, quod quis facere potest, ut patet in eo, qui omnia consumit, deinde cum ante traditionem donans maneat dominus, poterit de illis tanquam propriis testari, licet heres ejus obligatus sit ea tradere Donatario, imò habet donator beneficium competentiae *l. 33. ff. de donat. l. 41. §. fin. ff. de re judic. §. pen. l. de Action.* Et ita ex hac causa testandi facultatem non amittit *Jul. Clar. §. donatio, qu. 19. n. 1.*

CONTROV. XIX.

Tertia quidem, sed nondum satis expedita est Quaestio: An donatio inter vivos praeter enumeratas in *l. ult. C. de revoc. donat.* expressas causas, aliae, vel illis similes, vel etiam majores, admittantur? Quamvis hoc plurimi affirmant, nos tamen negantium castra sequimur: Si quidem ex *§. 2. l. de Donat.* nec non *l. fin. C. de revoc. Donat.* constat, certas ingratitudeum causas determinatas & definitas esse, ex quibus solummodo donatio revocari possit, si enim incertae essent, quid opus esset enumeratione causarum, aut cur Imperator illam particularem taxativam tantummodo in *d. l. ult. C. de revoc. Donat.* adjecerit, si adhuc alias causas revocandi donatio-

C. 2.

nem

nem liceret assumere, *Giphan. ad l. ult. C. de revoc. Donat.*

CONTROV. XX.

Ingens inter interpretes juris est controversia; Quodnam testes in testamento tempore contagionis condito requirantur? Sunt qui putant, quinque testes præcisè requiri, ita ut minor numerus, quam quinquenarius non sufficiat *Bald. in l. ult. C. de testament. n. 1. sub fin. Jul. Clar. lib. 3. sent. §. testamenti qu. 56.* Sunt etiam, qui simpliciter docent, necessariò septem testes requiri, & in eo solennitatem testamentorum tantum esse remissam, quod non sit necesse, ut testes unico contextu adhibeantur, sed sufficiat, si ex intervallis interveniant, puta hæc horâ duo, sequenti horâ iterum duo vel plures, & sic deinceps, donec numerus septenarius sit completus, & ita accipiunt *l. 8. C. de testament. Paul. de Castr. ibid. n. 1. & seqq. Brunn. ad l. un. ff. de bon. poss. ex testam. mil.* Nos, in hac opinionum diversitate, defendimus, duos vel tres tantum sufficere, si plures haberi nequeant; Cum, ubi pugnantes sunt Dd. opiniones, tenenda sit illa sententia, quæ favet testamento *Gail. 2. obs. 118. n. 19.* Et quando aliquid pro forma & solennitate actûs requiritur, propter casum necessitatis, valet actus, non servatâ illâ solennitate *Jason. ad l. ult. C. de testament. num. 7.* hancque sententiam ut æquiores à Camera Imperiali receptam dicit *Gail. d. obs. num. 19.* & ibidem secundum eam in causa *Güllich* contra *Erlebach* & consort. I. Jul. anno 1540. judicatum refert *Mynsing. cent. 1. obs. 96.* Cum qua sententia Augusti Electoris Saxon. illustrissima Constitutio concordat, *part. 3. Const. 4.*



*Const. 4. diu. weil Unsere Verordnete etc.* Plura qui desiderat de hac Controversia, adeat Magnifici moderni Dn. Decani Facult. Jurid. Dn. à Soden *Dissert. Inaugural. de Testamentis Ordinandis*, ante 40. annos & quot excurrit ipso præside habitam *thes. XVII.*

**CONTROV. XXI.**

Digna quoque excussione quaestio est: An Vasallus sine Consensu Domini, de re Feudali cum extraneo sic pacisci queat, ut prædium, quod possidet Feudale, aliquo vicissim accepto dimittat? Communis est feudistarum, opinio, Vasallum, ignorante Domino, de re feudali cum tertio ita transigere posse, ut ipse Vasallus rem feudalem, quam tenet, retineat, aliquo dato vel promisso adversario, vel ut eandem ab adversario accipiat, Non verò ut ipse Vasallus aliquo accepto, eam adversario relinquat, atq; ita post veteres juris Feudalis Interpp. statuerunt *Job. Borcholt. in tractat. feudal. c. 8. n. 44. Somsbec. part. 12. n. 92. Rittershus. in paratit. feud. lib. 2. c. 2. qu. 17. Duaren. de feud. c. 12. n. 10. Zasius part. 9. n. 19. Rosenthal. in Synop. feudal. c. 9. memb. 1. concl. 21. n. 2.* quorum opinioni nos subscribimus, quamvis contrariam opinionem amplectentur *Schenck. Baro in tit. 26. §. si Vasallus de beneficio, §. tit. 43. lib. 2. feud. Kulteij. de feudis lib. 1. cap. 10.*


**CONTROV. XXII.**


Numero Quaestionum finem imponat illa Controversia satis intricata & difficilis: An Sagæ seu Lamiæ, quæ nec hominibus nec animantibus, segetibusvè nocuerunt, ignis poenâ puniendæ sint? *Alciat. §. Duaren.* existimant, sagas, quæ tales, si nihil aliud admiserint, absol-

ven-


wendas ac dimittendas esse, ita enim scribit *Alciat. S. parer. 22.* hasce foeminas hellebro potius, quàm igne purgandas videri, & *Duaren. in tit. ad l. Cornel. de sicar. cap. 2.* inquit: si miseræ hæ mulierculæ nihil aliud admiserint, eas Curia Parisiensis meritò absolvere ac dimittere consuevit. Nos tamen, reiectis illorum opinionibus, contrarium affirmamus, nempè lamias, etiamsi hominem nullum veneno necassent, nec segetibus aut animantibus nocuissent, eo ipso tantum, quod Dæmoni foederatæ, quod conventui interesse solitæ, & quæ ibi exerceretur præstare, occidendas & incinerandas esse: Sie seynd allein darum an Leib und Leben und mit dem Feur zu straffen/ daß sie den Christl. Bund in der Tauffe verpflichtet/ Gotteslästerlich gebrochen/ und auch Gott dem Allmächtigen ab/ und dem Feindemenschl. Heyls durch sondere pacta, Verbündnisse/ und abjuraciones zugesaget haben/ seines Willens zu leben. Quam nostram sententiam approbat, *G. A. Struv. Jurisprud. Rom. Germ. for. Carpz. & DD. plerique.* Cum enim Criminis gravitati commensuranda sit pœna, & gravitas criminis petenda à personæ offensæ dignitate, nec non ab ipso offensionis modo; Lamias autem quæ tales, Deo & Superis maledicere & blasphemare, à Deo ad hostem Dæmonem, (cum quo se carnaliter commiscunt) confugere, huic se devovere, fidelitatis & obedientiæ sacramentis se abdicere, adeoque crimen læsæ Majest. Divinæ apertissimum committere certum sit, quis negabit, eas pœnâ ignis esse afficiendas.

Soli D E O gloria.





00 A 6303



00 A 6303

ULB Halle  
002 928 574

3



VJ 17

Reha







XXXIV.  
 Q. D. B. V.  
 DISSERTATIO INAUGURALIS  
 exhibens  
**POSITIONES  
 SELECTIONES,**  
 EX JURE PUBLICO, FEUDALI ET  
 CIVILI DESUMPTAS

*Quas*  
 Summo Numine Adjuvante  
 AUTORITATE  
 INCLUTE FACULTATIS JURIDICÆ  
 IN PERANTIQUA UNIVERSITATE ELECTORALI HIERANA  
 PRÆSIDE  
*VIRO Prænobilib. Excellentiss. atq. Consultissimo*  
**DN. MELCHIORE LU-**  
**DOLPHO Bilien/**  
 J. U. Doct. Famigeratissimo, & Institutionum Juris  
 Imperialium Prof. Publ. Ordin. celeberrimo, &c.  
*PATRONO AC HOSPITE SUO HONORATISSIMO,*  
**PRO LICENTIA**  
 SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ac PRIVILEGIA  
 DOCTORALIA ritè capessendi,  
*Ad diem Martij Anno clis lcc. XCVII.*  
 IN AUDITORIO JCTORUM MAJORI  
 P. P.  
**LUDOVICUS FRIDER. WINDREUTER,**  
 Canonicus Magdeb.

ERFORDIÆ, Literis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

X 35

